



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De S. Eustadio Abbate Divionensi In Burgundia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

EX VARIIS.
Reponenda
hæc pag. 133,
post Revela-
tionem S. Ge-
novæse.
NOT. 60.
SECL. VI.
III JANUARIJ.

DE S. EUSTADIO ABBATE DIVIONENSI IN BURGUNDIA.

S. Eustadii
Abb.

parens,

natalis,

Divione, Ducatus Burgundiæ primaria urbe, præclarum extat cœnobium S. Benigni Martyris, qui 1 Novembris colitur. De eo cœnobio actum 1 Janu. in Vita S. Guillelmi Abbatis. Omnium Abbatum catalogum exhibet Claudius Robertus in sua Divione, interque eos primum recenset S. Eustadium, quam ait sepultum juxta corpus S. Benigni, et juxta eum S. Hilarium Senatorem et S. Quietam ejus conjugem, S. Joannis Reomensis, qui xxviii Januarii colitur, parentes, de quibus agemus xxviii Novembris. Eustadius vero, inquit idem Robertus, filius fuisse dicitur S. Gregorii Episcopi Lingonensis, ad oram apographi ejusdam catalogi hujus monasterii Abbatum. Vitam S. Gregorii habes iv Januarii.

S. Eustadii natalem consecrat iii Januarii Saussaius in Supplemento Martyrologii Gallicani his verbis: In monasterio Divionensi, S. Eustadii Abbatis primi Ecclesiæ S. Benigni, qui cum esset B. Gregorii Lingonensis filius, patris sancti consecutus vestigia, eam ad gratiæ sublimitatem evasit, ut absoluto sacre præfecturæ decursu, pro conspicuæ sanctitatis

honore meruerit in præsignata Ecclesia juxta corpus S. Benigni Martyris ad lævam ejus tumulari. Porro pone ejus sepulchrum S. Hilarium Senator, et S. Queta, S. Joannis Reomensis parentes, non sine privilegio pietatis conditi sunt. sepultura.

DE S. BLIDMUNDO.

Pag. 134, col. 2, post vitam S. Blidmundi, adde [Hæc Menardus. Inscriptis Saussaius quoque nomen S. Blidmundi Martyrologio Gallicano. De S. Attala Abbate agemus x Martii.] NOT. 61.

DE S. DANIELE M.

Pag. 161, col. 2, adde in fine [Philippus Ferrarius Translationem S. Danielis refert iii Junii. Galesinius xv Maii; et celebratur Dominica 3 Maii, ut hic dicitur. Colitur S. Prosdocimus Episc. et Patronus Patavinus, cujus hic mentio fit, vii Novembris; S. Justina V. M. vii Octobris.] NOT. 62.

AD IV JANUARIJ.

NOT. 65.

NOT. 64.

NOT. 65.

NOT. 66.

Pag. 162, col. 1, lin. 13, S. Neopiste; corrige S. Neophyte, et reponere post S. Dafrosam. Ibidem col. 2, post lin. 3, adde [S. Fausta Virgo Martyr, in Gallia. Expunge vero quæ de illa inter Omissos habentur.]

Ibidem post, S. Rigobertus Archiep. Remen. adde [S. Rumonus Episcopus in Anglia.]

Ibidem col. 2, inter Omissos, ubi de SS. Theopompo et Synesio agitur, dele ista [sed Martyrol. Roman. xxi Maii,] et reponere [Hi sunt SS. Theopemptus et Theonas, de quibus egimus iii Januarii.]

Ibidem de LXXII Christi discipulis, post commemorationem, adde [De iisdem ista scribit hoc die Saussaius: Commemoratio SS. LXXII Discipulorum Domini, quorum plerique Gallias cælesti Evangelicæ veritatis lumine irradiantes Ecclesiarum multarum insignium illic fundamenta, adhuc solida, posuerunt. Hujus rei multis videtur haud satis expedita probatio, ut de præcipuis suo loco disputabitur. De Singulis etc.] NOT. 67.

Ibidem expunge quæ de S. Fausta V. M. omittenda dicuntur.

Reponenda
hæc pag. 163.
NOT. 68.
IV JANUARIJ.

S. Faustæ
translatio,

natalis,

martyrium,

basilica,

DE S. FAUSTA VIRG. MART.

Andreas du Chesne Christianissimi Regis Historiographus, vir æterna dignus memoria, nobis olim S. Faustæ Virginis et Martyris translationem e Lemovicensi codice descriptam communicavit; cujus et ipse partem tom. 2 Scriptorum Francicorum publicavit, atque ex eo expressit Petrus de Marca lib. 3, historiæ Bearnensis cap. 2.

2 Ex ea historia antiqua sanctæ Virginis veneratio asseritur: ast natalis ejus aut dies anniversaria Translationis istius minime indicatur. Natalem in aliquot Martyrologiis reperimus; nam Coloniense Martyrolog. anno 1490, excusum, iv Januarii ista habet Bituricas S. Faustæ Virginis. Quæ transcribere Carthusiani Colonienses in addit. ad Usuardum, auctor Florarii, Maurolycus, Canisius, Galesinius, Ferrarius, Felicius.

3 Fusius Andreas Saussaius in Supplemento Martyrol. Gallicani: Ipsò die in Aquitania S. Faustæ Virginis et Martyris, quæ in Gasconia ob testimonium irrefragabile Christianæ pietatis dure cruciata, atque agone gloriosissimo consummata, in loco cui Fideniacus nomen erat, ubi martyrium complevit, a Christianis eo quo potuerunt honore sepulta est. Deinde vero persecutionum sopitis incendiis cum senior aura Christi cultoribus affulsisset, coruscantibus ad beatæ Martyris tumulum crebris divinæ majestatis insigniis; ad ejus memoriæ honorificationem magnifica extracta est basilica, quam Dani infideles Gasconiam populantes infeliceiter cremaverunt. At non diu post ne tam pretiosa gemma sub cinere delite-

sceret, divina providentia factum est, ut ab Aldario monacho Solemniacensi, reliquias Sanctorum perquirenti in Gasconia partibus, hortatu Arnaldi hujus regionis Comititis, qui filius erat Ynionis Comititis Petracoricensis (Deo piis aspirante votis) reperta atque levata e ruderum diruta ecclesiæ obscuro situ, gleba ipsius Cælitis veneranda, cum aliis Sanctorum lipsanis ad asceteriolum Solemniaci cœnobii juris, conditum in fundo Briniciaco, delata et reposita fuerit, multis fulgentibus cum ipsa inventione, tum in translatione pretiosi corporis Martyris beatæ, miraculis. Hæc Saussaius. Posteriora sunt ex historia translationis adumbrata; priora ex aliquo fortassis veteri Breviario expressa. Nos de tempore, loco, modoque martyrii nihil usquam reperimus.

4 Alia postmodum facta translatio ad Prateam ordinis Cisterciensis in diocesi Bituricensi cœnobium. Testatur Claudius Robertus anno MCCXLVII, v Id. Octobris eam contigisse. Quo die ita illius meminit in citato Martyrologii Supplemento Saussaius: Bituricis translatio S. Faustæ, cujus corpus in monasterio de Pratea repositum quiescit. Distat Pratea a metropoli Biturigum 6, leucis. Renatus de Prie Abbas S. Mariæ de Pratea, Episcopus Bajocensis et Lemovicensis, ac S. R. E. Cardinalis, corpus suum jussit humillime juxta Divam Faustam recondi, ut dicitur in ejus eptaphio quod in Notitia Abbatiarum ord. Cisterciens. exhibet Gaspar Jongelinus Abbas S. Disibodi. Obiit Renatus v Id. Septembr. MDXVI. alia translatio.

HISTORIA